



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opera S. Matris Teresae De Iesu Carmelitarum Discalceatorum et Discalceatarum Fundatricis**

In duas partes distincta

**Teresa <de Jesús>**

**Coloniae Agrippinae, Anno MDCXXVI [erschienen] M.DC.XXVII.**

Cap. XXI. Fundatio Veasensis, à S. Iosepho Saluatoris nominata, & anno  
M.D.LXXIV. die S. Matthiæ instituta describitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37974**

hymouerunt Sodales quidam Religiosi à Mercede cognominati, nec non Capitulum & Canonici, quibus emphyteuseos ius in domum illam erat. Quam, ò bone Iesu, difficile est cum diuersis hominum opinionibus decertare & rem habere! cum enim rem iam confectam mihi habere videbar, tum alia ex alia difficultas subnascebatur. nam factio non erat, quæ postulauerant omnia ipsis concedere, quoniam statim aliud & aliud in commodum afferebant. Hæc ipsum, ita dictum, nihil quidem esse videtur, at id ferre & subire, nimis quàm multum fuit. Quidam Episcopi patriæ, qui in eadem Ecclesia Prior & Canonici agebat, quidquid poterat, nostri causa faciebat, nec non Licentiatarius Herediarius, insignis Dei famulus. Cum Canonici tandem, multo æte perluto, res feliciter composita est, at non cum Patribus illis Mercenarijs: vt ergo ad nouas illas aëdes transiremus, quam occultissimè id fieri oportuit. Vbi verò nos iam de facto (erenim vno atque altero ante festum Archangeli Michaelis die migrauimus) in illas transisse compererunt, pecunia accepta nobiscum pacisci, satius & præstabilius iudicauerunt. Imprimis vero me in hisce difficultatibus occupabat, quod, cum non nisi septem mihi octo uel à Præfecturæ Incarnationis triennio exacto dies decissent, Abulam inde me digredi necessarium, muneris causa, oporteret. Domino ergo disponente & dirigente factum, vt omnia ita composita & ex voto constituta sint, nulla vt amplius exinde nobis his fuerit: vnde biduo aut triduo post, ad Incarnationis cenobium digressa sum. Sit nomen eius in perpetuum benedictum, quod tales & tantas mihi nunquam non gratias contulit, omneque illius creaturæ eum laudent & celebrent. Amen.

## CAPVT XXI.

DESCRIBITUR FVNDATIO COENOBII VEASENSIS,  
quod à Sancto Iosepho Saluatoris vocatum, & anno M.D.LXXIV.  
in Sancti Matthei festo fundatum est.

EO ipso tempore, quo (sicut supra commemorauimus) iam inde ab Incarnationis Salmanticam proficisci iussa sum, & ibidem versarer, honesta quædam domicella Veasensis, misso nuntio, nec non litteris, quas Curionis aliorumque mittebat nomine, me inuitauit, vt illo in opido cenobium conditum venirem; & verò de domo minimè laborarem, etenim ipsam se iam paratam habere, vt sola, omnibus iam paratis, monialium quæ ipsam incolerent, requireretur presentia. Ergo nuntium, de opidi situ, commodis, & incolis sum percontata: qui multa mihi eiusdem bona commemorauit, nec iniuria est

*S. Mares  
Veasii in-  
uitatur,  
ad conuentum  
fundandum.*

Fff 2

namque

namque locus amœnus, salubris, & cœli satis temperati. Sed cum viderem quantum inter illum & Salmanticam locorum esset intervallum, stultum mihi videbatur de ea fundatione cogitare: at que impetratio quod Commissarium Apostolicum (qui novæ huiusmodi cenobiorum fundationi si non aduersaretur, saltem non faucebat) assensum in illa præbere oporteret. Quare initio decrevi, illo non monito, deca nequaquam me in præfens illam posse fundationem admittere. postea mihi visa sum, quod is ipse Salmanticæ tunc versaretur, rogabo eum: si illo inconsulto & non monito rem hæc non suscipere, quod à Reu. P. N. Generali mihi esset iniunctum, nullam quæcumque se offerret, fundationem repudiare. Ipse ergo his litteris visis, mihi dixit videri, piorum illorum virorum, quorum se peccato nignitate misericordè respondit recreatum, desiderio non satisfacere, ne morem gerere, quare missis Vespasini litteris, illis significarem, ad illud ut quamprimum, accepta ab Ordinario per ipsos potestatem haberem, verum addebar, hanc ipsam minimè ab illis obtinendam libertatè crederem, quod enim id Equitum S. Iacobi opidum esset, aliunde constare sibi, id genus facultates, ne multorum quidem spatium, ab alijs simili in casu impetrari potuisse. quare illis per litteras meas spem omnem non adimerem. Interdum hoc ipsa mecum perpendo, & quomodo id quod Dominus fieri velit (esto id ipsi etiam nolentibus ad exitum deducatur & perficiatur, ut, etiam ignari, nec scientes, sumus adminicula & instrumenta: sicuti hac in re R. P. F. Magister Petrus Fernandus, qui Commissarius erat, instrumentum fuit. vnde Equitum pace ac potestate iam impetrata, eam à parte sua deest, minimè potuit. Sed hac ratione res peracta & facta est. Hoc Vespasini cenobium, in honorem S. Iosephi, in festo Apostoli Martini Domini M. D. LXXIV. fundatum est. Hæc autem eius fuerunt primordia & initia, ad laudem & gloriam Dei. Commorabatur sub idem tempus hoc in opido generosus Eques, nomine Sanctius Rodericus de S. doual, natalibus illustris, & opibus affluens: uxorem is habebat nobilem Catharinam Godinesiam, quæ inter alias proles multas duas ei peperit filias, quæ huius fuerunt monasterij fundatrices, & maiori nomen fuit Catharinæ Godinesæ, minori vero Mariæ S. douallia. Illa quartum decimum ætatis annum egressa, ut cum eam Dominus ad obsequium suum vocavit, antè vero ab mundo nuntium remittendo erat aliena, ut quascumque ei suggereret nuptias, velut se indignas ac minores, respiceret. At eum quadam die in cubiculo (erat hoc post cenaculum, quo pater eius tum agebat, cum nondum è lecto summa

*Mirabile i  
visu Con-  
uentus Ven-  
sensis.*

terre crucis Dominicæ, quæ ibidem conspiciebatur, titulum legit-  
 sit, repente ex illius lectione, dextræ diuinæ potentia penitu im-  
 mutata fuit. nam cum animo versaret & volueret matrimonium id,  
 quod satis honestum & optabile oblatum tunc ei erat, intra semetip-  
 sum dicere cepit: Hem, quàm paucis & modicis pater meus contentus  
 est, dum maioratus possessore sponto mihi inuento quiescit. ego verò  
 in ego & molior, vt stirps mea à me initium habeat, ipsa que familia suam  
 pater. A matrimonio ergo alienior fieri cepit: quòd nimis quàm  
 vile & abiectum ei videretur, alicui homini sese subijcere. vndenam  
 vero hæc in se superbia oriretur, ipsa nesciebat. Sed nouerat Dominus,  
 quàm illam via iuuare & ad sese trahere vellet. quare benedicta eius sit  
 misericordia.

Eo ergo momento, quo Crucis titulum legit, luculenta ac splen-  
 dida menti illius aborta lux est: ad veritatem ipsam perspicendam; per-  
 inde ac si in obscuram quemdam locum sol desubito ingrederetur. &  
 hæc luce irradata, considerationis oculos in Dominum in cruce fixis,  
 ac sanguine fluido vndiquaq; perfusum coniecit: cogitauitq; quàm ibi  
 male habitus esset, nec nõ summam & singularem eius humilitatem,  
 quàm verò longè diuersum ab eo ipsa iter insisteret, dum per superbiam  
 semitum pergeret. Aliquantisper hac in cogitatione haud dubiè hæsit,  
 quòd illius spiritum Dominus suspendisset. Instillata tum quoq; ei à di-  
 uina Maiestate magna & perfecta propriæ vilitatis ac miseriam cognitio,  
 nec non voluntas qua etiam vilis ab omnibus haberi volebat, adhuc  
 ingens, incitatumque propter eum patiendi desiderium, quo pari op-  
 tator, quidquid ab his Martyres passi erant: quin & profunda quedam  
 in nihilitas, & tanta sui ipsius detestatio, vt, nisi fuisset quòd  
 Dei offensa præcedere debuisset, de perditis & propudiosis mulier-  
 cibus vna esse voluisset, quò hac ratione omnium digitis notaretur.  
 vnde se ipsa detestari & abhorre, magnæque austeritatis subeunda  
 desideria concipere cepit, quæ etiam postea re ipsa & opere est exe-  
 cuta. Hoc quoque momento castimoniam ac paupertatis vota, insigni  
 animi generositate concepit, tantusque mentem illius iacessit alie-  
 ne se voluntatis subijcendi ardor, vt huius dumtaxat voluntatis  
 implenda ergò haud grauati se in Mauricam captiuitatem, alieno pa-  
 tris imperio, abduci sinisset.

Omnes hæc virtutes in ipsa stabiles permansere, facile vt  
 videre fuerit, fuisse hanc supernaturalem quamdam Domini gra-  
 tiam ( vt postea commemorabo ) quò omnes eum homines  
 deprecarent. Esto tu benedictus, D e v s meus, in æternum,  
 vt qui vno in momento animam destruas, & mox rursus con-

*Catharina  
 Godesfrida  
 conuersa ad  
 Christum.*

struas & reficias, quid hoc est Domine; percontari hic ex te  
 id, quod olim te rogauerunt Apostoli tum, cum caeco lumen  
 disti, petentes, *Quis peccauit, hic an parentes eius?* Sed ego  
 econtra peto, *Quis tam singularem gratiam promeruerit?* Non  
 fa: iam enim supra diximus, quibus illam e cogitationibus  
 moliminibus eduxeris, cum hanc illi gratiam praestitisti. Quae  
 ergo magna & profunda sunt indicia tua Domine? Tu nos, quae  
 facias, & ego vix scio quid dicam; cum opera, & iudicia tua  
 comprehensibilia sint. Esto proinde in aeternum glorificatus & lau-  
 rus, cum etiam plura & maiora praestare valeas. Hoc ni esset, quod  
 de me foret? Quid si forte Mater eius tantae huius gratiae et  
 causa fuerit? tanta namque eius erat pietas & religio, ut etiam  
 san bonitatem tuam ( utpote qui pius & benignus es ) induxerit,  
 ei concedendum, ut in vita sua tantam in filiabus suis virtutem  
 faceret. Subinde mecum ipsa perpendo, & considero, tales te solent  
 rias diligentibus te praestare, tantumque; ijs bonum conferre, quale  
 dare id per quod tibi seruiant.

Hac animo dum versar, ingens ab imis cubiculi penetralibus  
 strepitus, ut omnia loco moueri ac subruui viderentur, est ex-  
 tus: qui etiam omnis e quodam illius angulo, in quem ipsa con-  
 cesserat, prodire & oriri videbatur. Audiuit praeterea terribiles  
 quosdam ululatus & fremitus: qui quod aliquo temporis  
 durarent, patrem ( qui, uti dictum est, nondum lecto summa-  
 rar ) insolito timore compleverunt: adeo ut toto corpore perterriti  
 rescere & tremere coeperit. quare percussus & consternatus,  
 gam sumit, strictoque gladio in locum irruit, & expallescens  
 liam quid rerum subesset, sciscitatur. Ipsa nihil se vidisse  
 diceret, ulterius in aliud conclave interius penetrat. cumque  
 ibi quidquam vidisset, filiam iubet ad matrem se conferre:  
 iniunxit, ne illam solam esse sciret, & quidnam audisset, ex  
 narrauit.

Facile hinc patet, quam diabolus agre ferat, cum animam  
 quam iam ut suam reputabat, manibus & potestati suae videret  
 ( adeo is scilicet bono & saluti nostrae aduersatur. ) Non mirum  
 ne, cum, cum clementissimum Dominum tot simul alicui gratiam  
 praestare videt, ita obstupuisse, & talia doloris & indignationis  
 suae argumenta dedisse: praesertim quod intelligeret ac  
 ret, se, per gratiarum, quae in anima illa sedem stabilem  
 thesaurum & opulentiam, multas animas, quas iam ut  
 habebat, amissurum. Etenim certa sum, numquam tam magna

nemini alicui gratias confetere, quin simul earum plures, quam ipsum  
 qui eas recipit, participes faciat. Nihil horum ipsa cupiam dixit:  
 sed ardens vitæ monasticæ proficendæ desiderium concepit, cu-  
 jus rei causam facultatem instantissimè à parentibus peteret, numquam  
 tamen ab ijs illam potuit impetrare. Erga cum triennio toto eam  
 postulasset, & illos assensum præbere nolle cerneret, ipso S. Iose-  
 phi die, honestum & simplicem vestitum, matre solare huius con-  
 ditio ( à qua haud ægè potestatem monasticam vitam suscipiendi  
 obtinuisse: etenim patri nihil audebat indicare ) assumpsit, ita-  
 que ad templum publicè perrexit; ut, cum semel in eo visa pu-  
 blicè & ab omnibus esset, hunc ponere deinde non iuberetur.  
 namque etiam factum est, & patrem dissimulare oportuit. Toto hoc  
 anno bonas aliquot horas orationi impendit, & quibus pote-  
 rat modis sese mortificare, prout eam Dominus instituebat & sug-  
 gerebat, studuit, non raro etiam in aream domesticam prodians,  
 singula vultum persusum solaribus ilico radijs siccandam exponen-  
 dit, ut formæ factò dispendio omnes à sui coniugio, quod nihilo-  
 minus plurimi ambiebant, detereretur. Adeo nemini quid imperare  
 & dominari volebat, ut, cum ei paternæ familiæ cura concedita  
 esset, itaque ancillis & mulieribus alijs quid imperare eam oport-  
 eret ( quod aliter fieri non poterat ) ipsa tamen ex humilitatis  
 studio, expectans vsque dum dormirent, illarum pedes exoscula-  
 retur, dolens & anxia quod ipsæ, cum sese meliores essent, sibi  
 seruirent. Quod verò interdum à parentibus aliarum rerum tracta-  
 tione distineretur, somnum corpori suffurata integras propè noc-  
 tes orationi dicebat adeo ut sæpè tam parum somni caperet, ut,  
 nisi supernaturales adfuissent suppetiæ, corpus trahere ei impossi-  
 bile fuisset. Austeritates vero & flagella frequentissimè viurpabat,  
 quod nemo esset à quo ipsa regeretur, & cum nemine confer-  
 ret. Inter alias, per quadraginta ieiuniorum dies continuos ferreis  
 circumventam hamis lorica parris nudo accinxit corpusculo. Oratura  
 quendam locum captabat, vbi eam cacodæmon vanis &  
 horribilibus illusionibus exagitabat. fuit non raro cum à decima ves-  
 pertina ad vsque auroram in precando numine perseveraret. Qua-  
 triennio prope totum hisce exercitijs vacavit; quo exacto, in alijs  
 orationibus eam Deus sibi voluit seruire, gravissimis inquam & pano-  
 ramicis morbis, continenti videlicet febre, diro hydrope, cardiacis dolo-  
 ribus, nec non gangræna, quam incidi oportuit. Septendecim ipsis an-  
 nis hæc ipsam ita detinuit inualetudo, ut nonnulli dierum aliquot  
 sanitate

CSIA

CSIA

CSIA

sanitate vsa fuerit. cum quintus harum gratiarum, morborum iniquitate  
ageretur annus, patrem contigit intermori.

Soror vero eius, quatuordecim annorum virgo, vno post, quam  
Catharina vestium ornatum deposuisset, anno etiam exiuit lacu  
(quam antea elegantiam splendoremque perdidit seclata  
texuit, communi veste se induens: & exinde etiam insistere con-  
rer precibus, pijsque mentis exercitijs cepit. Huc illas non modica  
sa mater exstimulabat, & qua poterat ope, pia illarum exercitia & de-  
sideria promouebat: à qua etiam illis data facultas, vt mundana  
& nobilitatis proculcatis insignibus (quamquam stipe essentia-  
les) teneras puellarum manus ad puellaria opera & literarum  
Etionem edoceret, idque gratis, sed tantum vt hac ratione  
occlusionem haberent ad mollibus illarum mentibus doctrine Ch-  
stiane rudimenta, & Deum rogandi methodum ratione me-  
dendam. Insignem hac illa via fructum faciebant: etenim multas  
se alliebant puellas, in quibus, quam in puellari etate didicerunt  
rum honestatem, & laudabiles consuetudines, etiamnum relin-  
emicare cernimus.

Pia hæc occupatio & exercitium non fuit diuturnum: nam cum  
demon, quod ferre bonum hoc opus non posset, parentibus per-  
dere cepit, fore, vt in magnam sui ac familiae dedecus & infamia  
deret, quod ipsarum proles gratis edocerentur. hæc, vii & non  
rum violentia & grauitas, in causa fuit, vt pium hoc exercitium  
rumpere sint coactæ. Quinto post patris mortem anno, mortem  
que est harum Virginum mater, & quoniam Catharina vocata  
per fuerat, vitam Religiosam & claustralem suscipere, sed nunquam  
adhoc a parentibus impetrare veniam potuerat, hinc illico, hæc  
sione oblata, desiderium hoc exequi procurauit, & alio propere  
ficisci (nam Vesij cænobium nullum erat.) Sed consanguineis  
(cum fortunis ac facultatibus affluerent,) in maius Dei cellam  
sequium affirmarunt, hoc ipso si in loco cænobium nouum con-  
rent. Sed, quod opidum hoc ad Equites commendatarios S. S.  
spectaret, ad hoc generalis ipsius Ordinis Concilij consensus  
rius erat. Vnde ipsum Catharina impetrare incepit: sed is tam de-  
ter haberi & obtineri potuit, vt quatuor ipsius annis, post mag-  
bores & sumptus, nihil penitus actum sit. Vsque dum ipsi Regi  
causa oblatus libellus est, nihil obtinere tum ipsa, tum am-  
re: quare tanta in re hac obtinenda apparuit difficultas, vt Con-  
consanguinei dicerent, fatuum esse vterius petendo insistere.  
rent proinde, rem hanc vt animo ponerent. Addebant insuper

nam hoc cilli attrita que esset valetudine (vti supra dictum est) semper  
 lecto affixa haberet, vix vlla in Monialium congregatione locum si-  
 bi dandum speraret. Quibus illa confidenter pronuntiavit, si vnus men-  
 tis sibi plena à Deo sanitas restitueretur, certissimum eam docu-  
 mentum ipsi diuinæ voluntatis fore, quia hoc condi cœnobium velleret  
 ut tam se illius ergo curiam adituram. Hæc cum diceret, semestri, co-  
 pte amplius, lecto, prostrata valetudine, affixa decubuerat, & octennio  
 pro omni propè membrorum vsu destituta vixerat. Toto illo tempore  
 continuus iactata fuerat febribus, lenta quoque interiora aderat phthi-  
 sis ac marcor hecticus: accesserat hydrops, ac tam vehemens hepatis in-  
 flammatio & ardor, vt etiam trans stragula adstantes is afflaret, & ipsa  
 eam in dulia adureret (adeo intensus erat) quod fidem propè supera-  
 re videretur. Ego ipsa è medico sciscitata sum, num verè huiusmodi  
 illa tam morbus laborat: qui etiam non mediocriter obstupes-  
 copat, præter hæc, detum articulatis eam in manibus æquè ac pedibus  
 morbus cruciabat.

Ecce autem in gloriosi Martyris Sebastiani perignilio, quod tunc in  
 octiduum diem incidebat, tam perfecta & plena ei reddita sanitas  
 est, vt, ne miraculosa illa res in populum innotesceret, ipsa nesciret  
 quomodo eam tegeter. narrauit porro, Dominio valetudinem sibi  
 redente, tanto se tremore subito intortum fuisse correptam, vt  
 in supremo eam vitæ agone versari crederet soror. vidit verò ipsa ma-  
 gnam in corpore suo mutationem, quin & aliam in anima; adeo sci-  
 uerit illa in melius profecit. Ad hæc noua hæc valetudo & sanitas ma-  
 gis ipsam recreabat, quod hoc pacto monasterij foundationem pro-  
 curare sibi iam liceret, quam prius ipsum desiderium patiendi. Nam  
 tum inde ab initio, quo eam Dominus ad se vocauit, talem ei sui-  
 uis abnegationem & detestationem indidit, parui vt omnia fa-  
 ceret, simul etiam asserit, tam vehemens se in animo patiendi desi-  
 derium sensisse, vt Deum enixissimè & ex animo rogaret, vt om-  
 ni genam sibi patiendi materiam suggereret. In quo petitioni & po-  
 stulationi ipsius diuina Maiestas morem gessit; etenim illo, quo dixi,  
 octennio plusquam quingentis illi aperta vena est, vt ræeam pluries  
 calmotas ei cucurbitulas cum scarificatione, cuius indicia & cicatrices  
 in corpore etiamnum existentes satis id ipsum produnt. In cuius pla-  
 go etiam sal subinde iniectus, quod salutare & vile id medicus qui-  
 dam censeret, ad virulentiam & acrimoniam, quam lateris quidam  
 dolor causabatur, eliciendam, plus quam vicies hoc ei remedium  
 adhibitum est. Id porro magis in ea mirandum, quod cum medicus a-  
 liquod de pœnosis hisce remedijs adhibèdum pronuntiaret; ipsa interim

S. Matris Teresæ Opera.

Ggg

prius



Ther  
Op  
N

prius anima non concideret, sed magna cum auditate ac delib-  
rio tempus illud exspectaret, quo ipsum erat executioni manda-  
tum. quin & ipsosmet medicos exstimulabat & incitabat, prae-  
tin cum cauterio caro illi esset inurenda, quod ob gangrenam he-  
lips id genus morbos satis erat frequens. Causam, ob quam hae-  
na desideraret, eam esse dicebat, ut probaret & periculum facer-  
num quae martyrio finiendi vitam, habebat desideria & voluntas  
vera forent.

Ut ergo se valetudini restitutam conspexit, Confessario & me-  
dico suavit, aliud ut se conduci facerent, ut vulgo crederent boni-  
nes, aëris calique mutationi valetudinis recuperationem asseren-  
dam. Sed id illi verabant; imò verò medici rem propalantem  
quod de eius valetudine iam antè desperassent, quia tam patenti-  
dentidem exspuebat sanguinem, ut pulmonum particulas ex-  
censerent. Triduo ipsa in lecto hæsit, quòd surgere non audeat,  
quis rem intelligeret; sed quia tam sanitas, quam infirmitas, so-  
lari nequit; hinc omnis illius conatus & simulatio frustra fuit.  
Narravit ipsa mihi, se, cum mense Augusto superiore Domi-  
num precaretur, ut vel ingens hoc vitæ religiosa cenobique con-  
dendi à se desiderium auferret: vel aliqua eius perficendi ratio-  
nem suggereret; certam de valetudine recuperanda intus habere  
esse, quò confirmato corpore per quadragesimales ferias facer-  
em ipsa impetratura in curiam abiret. Addidit præterea, toto illius  
pore, tametsi morbi & languores indies etiam ingrauescerent, non  
quam se, quam à Deo acceperat recuperandæ valetudinis spe-  
deponere potuisse. Et, tametsi bis, extrema vnctione  
inuncta, & quidem semel in ita præsentis mortis discrimine,  
diceret medicus, frustra Curionem ad vngendum aduocari, quò  
ante illius aduentum ipsa esset expiratura) semper tamen con-  
bat & in Domino sperabat, fore, ut Religiosa moreretur. Non  
eo autem, illam iam inde ab Augusto illo ad vsque S. Sebastiani  
stum, bis hoc extremæ Vnctionis Sacramentum suscepisse, &  
prius.

Fratres illius & consanguinei, ut gratiam & miraculum  
in ea Dominus erat operatus, tam inexpectò ei sanitatem red-  
do, perspexere, iter illius & profectionem impedire noluerunt,  
metu stolidum id illis & dissentaneum videretur. Trimestris  
ria hæsit, nihil dum impetrans; at postquam Regi libellum  
plicem suis ipsa manibus obtulit, is, cognito Discalearum  
nialibus erigendæ, se dis copiam peti, eam illi confestim dari impetra-

Porro quod ad Monasterii fundationem spectat, satis  
 eam, non nisi Deo operante & peragente perfectam fuisse vi-  
 dere hinc, quod eam Superiores, cum & locus procul esset  
 distans, & reditus perexiguus, admittere voluerint. Quod e-  
 iam Maiestas illius fieri vult, non potest non fieri & executio-  
 ni mandari. Quapropter anno M. D. LXXIV. sub quadragesimi-  
 malis ieiunij initia eò se Moniales primum contulere: quas o-  
 pilant magna cum pompa, hilaritate & supplicantium ritu ex-  
 cepere. Omnibus porro in generali magna propterea oborta læti-  
 tia est; nam, etiam ad paruulos vsque, nemo non videbat o-  
 pus esse, quod ad Dei optimi maximi gloriam mirificè faceret.  
 Monasterium porro, quod à S. Iosepho Saluatoris nomen tra-  
 hit, hac ipsa Quadragesima, die Sancti MATTHIÆ na-  
 talibus sacro fundatum est. Eadem quoque die ambæ sorores sa-  
 crum religionis habitum susceperunt. CATHEARINAE porro  
 viderendo indies fiebat melior ac robustior, eius autem demissio  
 animi, parendi voluntas promptissima, & vt ab omnibus vi-  
 siperderetur desiderium, satis significant, eius desideria vera fu-  
 isse, & ad Domini obsequium retendisse. Sit ipse benedictus in sæ-  
 cula.

Eadem quoque mihi inter alia multa narravit, sibi ab hincan-  
 sis viginti, cum se ad nocturnam quietem composuisset, animo  
 accuratè sollicitèque versans, quænam in mundo Religio maximam  
 viæ perfectionem sectaretur, vt illi reperta se totam ipsa deuo-  
 teret, somnanti hoc visum exhibitum. Angustissimum per callem  
 accedere se putabat, præcipitijs & voraginibus horridis vindi-  
 que obnoxium inter hæc Religiosum de Discalceatorum certu con-  
 spicere (eum autem F. Ioannem de Misericordia, Fr. Laicum Ordinis hu-  
 ius, qui Vesitum excurrit cum ipsa ibidem agerem, conspexisset,  
 hunc eundem sibi videri ait, qui alias sibi inter somnandum apparuerat  
 sibiq; decentem audit, *Mecum veni soror*, quo dicto, quamdam in do-  
 mum ab illo conducitur, in qua ingentem Monialium multitudinem  
 vidit nulla porro domum hanc illustrabat lux, quàm quod à can-  
 delis ardentibus, quas manu illæ gestabant, lumen promicabat  
 conspexit ab eisdem sciscitatur, ecquodnam vitæ institutum profi-  
 cere. Nulla verbum illi respondit; sed omnes velum capitis  
 extolles, ore blando ac rotondi riserunt. Et certissimo as-  
 seruit, eosdem se tunc vultus notasse, quos habere videretur eas quas  
 hincenus conspicata sorores est. Reliquarum verò præfecta, ipsius  
 manu arrepta, ait: *In hunc te certum cooptare volo filia: simul vitæ quam*

*Viso admi-  
 rabili*

GGG 2

profite-

profitebantur, leges & Constitutiones exhibens. Interim ipse  
 to animi gaudio delibata somno expergiscitur, vt se inter Calu-  
 choros & iubilos versatam crederet. ceterum quidquid ex omnibus  
 sibi in visis Constitutionibus memoria insculptum haberat, ad  
 mam reuocatum scripto commisit. Multum porro effluxit tem-  
 ris antè, quàm horum quidquam Confessario, aut mortaliu-  
 piam aperiret. Et nemo erat, qui & hoc de instituto aut Religio-  
 quidquam diceret. Cùm ergo isthuc in opidum quispiam de si-  
 cietate Iesv Sacerdos, qui omnium illius desideriorum probe  
 sciens erat, fortè post appulisset; huic ipsa quidquid in scripturis  
 tulisset, haud grauatè ostendit, seque beatissimam fore signifi-  
 uir, hanc si sibi Religionem inuenire contingeret: fore enim vt de qua  
 primùm huic dedicaret. Is porro horum cum monasteriorum  
 tiam haberet, Ordinem illum esse B. Virginis de monte Carmo-  
 ei dixit: tamen id illi tam clarè ad intelligendum non aperiret:  
 illorum ei Monasteriorum, quæ ego tum fundabam, memo-  
 nem faceret. His igitur compertis mihi, vt suprâ significatum  
 litteras & nuntium miserunt. Quo autem tempore resposi-  
 meum accepit, adeo grauiter ægotabat, vt spiritualis illi  
 ter persuaderet, hac vt cura seposita, de isthoc instituto  
 stendo ultra non ageret: nam esto etiam hunc in casum  
 sta iam esset, ex eo dimittendam videri, nedum iam ad-  
 tendam. Hæc illam dehortariò cum non parum affligeret, hæ-  
 tes in preces effusa & anxia, sic Dominum est precata: *Deus  
 & Deus meus, te scio esse qui omnia potes. cia ergo anima mea vita, ad  
 à me desiderium amoue, aut eius adimplendi mihi viam modè  
 de. Magna hæc cum fiducia proferebat, Beatissimam Dei Mariam  
 per eum quem tum, cùm filium suum dilectissimum mortui  
 gremio sustinuit, sensit dolorem rogans, pro se vt apud Dom-  
 intercederet. Vnde ei introsum in aniua in hæc verba vox  
 Crede & expecta: ego enim sum qui possum omnia: sanitatem respice  
 quis enim efficere potuit, ne tot tantæque ægritudines, quæ ex se mortem  
 vllum vitæ tibi detrimentum inferrent, multò minori eas negotio à te  
 ferre. Tanto autem sibi aiebat verba hæc robore & certitudine  
 fuisse, nullatenus vt dubitare poterat, quin votorum  
 futura esset compos, tametsi alia plures, tum & maiores in  
 gritudines ingruerent, quoad usque plenam ei Dominus  
 dictum est, salutem daret. Sanè quæ hoc in euentu  
 sam contingere, incredibilia propè sunt, & nisi ipsa  
 eiusque domesticos & alios interrogassem ( ad eò scilicet*

proba sum) res certè erat huiusmodi, ut non multum quis peccasset, aliquam in narratione eius exaggerationem permittam fuisse cre-  
 didisset. Tamen autem imbecillis & infirmus sit, vires nihilomi-  
 nis iam habet ad regulam seruandam, & corpus satis firmum;  
 præterea magna animi est hilaritate, & singulari in omnibus ( ut  
 iam antè notatum est) humilitate prædita, quæ omnibus nobis egre-  
 gam Dei dilaudandi materiam suggerit. Ambæ verò tam perfecte  
 inægreque suas sine vlla contradictione fortunas Religioni consi-  
 gunt, ut, etsi deinde in ipsam non cooptarentur, nullum sibi  
 esset ius eas repetendi, aut vllam propterea mercedem poscerent.  
 Magna in seniore relucet abnegatio tum consanguineorum tum  
 patris, vnde etiam semper procul ab eis abesse desiderat; & hoc  
 ipsum etiam enixè à suis Superioribus contendit: tanta tamen &  
 tam singularis eius est obedientia, ut Veasij etiam cum gaudio com-  
 mueretur. Hæc quoque in causa fuit, cur monialium chorum fre-  
 quentantium velamen sumpsit; omnimodis namque petebat,  
 non in illarum, sed ministrantium sororum numerum ascribi. v-  
 que dum meam illi sententiam perferpsi, multa ad hoc argumen-  
 ta adferens, quin & eam increpans, quod non ea qua oportebat,  
 promptitudine Patri Prouinciali pareret: neque enim hoc ma-  
 teris meriti materiam esse & alia id genus depromens, asperius eam  
 habendo. Hæc verò loquendi ratio ei longe gratissima est, nam gau-  
 det summo opere cum increpatur. Sic demum ad hoc potuit induci,  
 tumetsi contrarium quam maxime vellet. Nihil de hac anima au-  
 dio vel intelligo, quod non eo referatur, ut Deo sese gratam exhi-  
 beat: atque idem reliquarum omnium de ea iudicium est. Dignetur  
 eam Maiestas ipsius in hoc proposito confirmare, eiusque virtutes  
 & gratiam, quam ei contulit, ad maiorem gloriam & obsequium suum  
 iudices adaugere. Amen.

## CAPVT XXII.

## HISPALENSIS CONVENTVS à S. IOSEPHO

appellati fundatio describitur. Primum in eo sacrum ipso

SS. Trinitatis festo, anno Domini M.D.LXXV.

celebratum est.

Veasij cum agerem, Concilij Commendatariorum facultatem, ad  
 Carauacæ fundationem inchoandam, expectans, illuc ad me vi-  
 suandum appulit quidam Ordinis nostri Discalceatorum Pater,  
 Hiero-